



~~PH.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

VI-27
SIGNAT. CLVCCCCXIII.

St. Michael. alied

AVXILIANTE DEO:

Theorema,

QVOD REVE-
LATVM VERBVM
EXTERNVM, QVOD IN SA-

CRO CODICE BIBLIORVM CON-
tineri affirmant Christiani sit indubitato

DEI Verbum:

Quod

Moderatore

REVERENDO AC
CLARISSIMO VIRO, DN. IO-
HANNE GEORGIO VOLCKMARO, S.S.
Theologiae Licentiate, & in Academia VVirenber-
genſi Professore publico

Contra gentes

Ad disputationem tertiam in Collegio studiosorum
Theologiae privato proponit,

M. MARTINVS CONRADVS Fr.

Respondente

*M. ENGELBERTO ENGELS. Mar-
codurano Iuliacense.*

VVITEBERGÆ

Typis viduae Matthæi VVelaci M. D. V C.



Magnifico consultissimoque viro :
Dn. STEPHANO MUMMIO U. J. D.
Illustrissimi Principis ac Domini, Domini
GEORGII FRIDERICI Marchionis
Brandenburgici &c. Consiliario & Reveren-
di Consistorij Onoldini presidenti
dignissimo :

Item

Reverendis ac Clarissimis viris :
Dn. M. FRANCISCO RAPHAELI
Ecclesie Onoldinae Pastori & Superin-
tendenti;

Dn. M. ABDIAE VVICKNERO
Illustrissima aula Onoldinae concionatori
primario :

Reverendi ibidem Consistorij assessoribus
dignissimis.

Dominis & patronis suis magnis & submis-
sè venerandis.

Hoc exercitium Theologicum officiosè of-
fert & dedicat.


M. Mart. Conradus.



THEOREMA.

Quod verbum externum re-
velatum & in S. Codice Bibliorum com-
prehensum, verum DEI vero
verbum sit.

I.

 *Vt superioribus disputationibus non minus
ευχμιόως, quam validis ἐλέγχοις evictū sit:
neque Naturales notitias; neque Aīcanas
Spiritus revelationes (verbi externi auditu
contempto) media esse, quibus eternam salutem conse-
quimur: nos ευτόκτως & tempestivè in accuratiorem
ευσήτησιν de Revelato verbo externo ferimur (quoniam Esa. 8. v. 20.
ex eo anima salutis rationem petendam esse fideles cre-
dunt) ut planum fiat, quodnam illud verbum sit: qua-
que nota ipsius, quā ab alijs, sive oraculis, sive responsis
(quae apud gentes et haeticos celebrantur) interno scitur.*

II.

*Nam sicut (a) nulla gens tam fera, immanisq̄
fuit, qua non videri voluisset, se Deum quendam suspi- ἀφορμῆ
cere; ita saniores (b) gentes in eo tota incubuerunt, ut a. Cu. I. de
verum cultum divinum apud se haberi putarentur. Ex diu.
quo tanta emulatio inter gentes exorta legitur, ut sin- b. Alex. de
gula aut simularent, aut ita persuasa crederent, praecun- prou. apud
ctis gentibus alijs, se veram Religionem divinitus ac- Cyrill. Cic. 2.
ceptam conservare. de Nat.*

III.

De Numa quidem Pompilio rege Romano referunt

A 2

histo-

Plato in Epin
& Theato

Liuius decad.
1. lib. 1. historia: cum vellet quibusdam legibus Romanum re-
gnum firmare, & sacrum cultum in urbe instituire: si-
bi cum Dea (fictitia) Aegeria congressus nocturnos esse,
eiusq; se monitu, qua acceptissima dijs essent, institue-
re, sacerdote sq; suos cuiq; praeficere, simulasse.

IV.

Ibid. Liuius
Murn. de vera
Relig. c. 20. Intellexit gentilis homo, ea qua ad cultum diuinum
(puta Ethnicum) pertinent, ad humanos animos sine al-
liquo commento descendere non posse: neq; autores cur-
iusdam diuini cultus, quando non sunt diuina auctorita-
te stipati, eum hominibus persuadere posse.

V.

De Verbo autem eo, quod scriptis Prophetarum
& Apostolorum continetur, quid senserint gentiles, no-
bis indicio sunt partim sermones eorum, qui sapientia
fama inter gentes praecipue claruerunt: partim vero
ipsum Apostolum Paulum & Acta Apostolica locupletis-
simos testes habemus.

VI.

Cum enim D. Paulus Caesarea coram Festo prae-
feto & Agrippa rege causam diceret, & mortis Christi
mentionem fecisset, quod secundum scripturam mori &
a mortuis resurgere debuisset: ecce, repente Festum sibi
Aet. 26. v. 25 obstrepentem audiuit: Inianis, Paule; multae te literae
ad inlaniam convertunt.

VII.

Ita electum illud Dei organum, cum Euangelium
Aet. 28. v. 22 inter gentes predicaret semper expertum est, quod nun-
cium de CHRISTO crucifixo & resuscitato doctrina
1. Cor. I. v. talis esset, cui ubiq; contradicatur: ut tandem commo-
22. 23. tus, gravissimam hanc querelam instituerit. Quandoz
quidem Iudaei signum postulant, & graeci sapientiam
quaerunt.

quærunte, Nos autem prædicamus Christum crucis
fixum, Iudæis offendiculum, Græcis verò stultitiam.

VIII

Et de Galeno Medicorum Coryphæo literis prædis-
tum fuit, cum fortè in lectionem Moysis incidisset, & pa-
ginas eas evoluisset, quæ creationis historiam comple-
ctuntur, quòd exclamaverit: Moyses, multa dicis: at
pauca probas, & Cicero autem in oratione quadam, cul-
tum Iudeorum sacrum falsè ridet, eosq; gentem super-
stitiosam nõ minus, quàm Tacitus historicus, nuncupat.
Et de Averroë scribitur, quòd dixerit, malle post mor-
tem animam suam cum Philosophis, quàm cum Christi-
anis esse.

Pro Flacco:
Cornel. Tacit-
us lib. 5.
Seneca de su-
perst.
Strabo lib. 16

IX.

Vnde liquidò apparet, gentes ut ut in speciem qua-
dam de verbo revelato differuerint: Verbum tamen id
revelatum, quòd sacram scripturam dicimus, & in co-
dice Bibliorum habetur, aut fabulas antes aut supersti-
tiones appellare illis placuisse: neque quicquam magis
pugnasse, quàm esse verbum Biblicum, verum Dei ver-
bum: & potentiam Dei ad salutem omni credenti: &
iustitiam Dei per illud pate fieri ex fide in fidem.

Fort. Crell.
in post.
Anal. post
præfat. de vita
Auer.
Rom. 1. v. 17.

X.

Quamobrem hoc in disceptationem venit: Utrum
verbum id externum, revelatumq; quòd in sacris Bib-
lis haberi Christiani affirmant, certò & verum sit
Dei verbum?

ἡ ἀποκάλυψις

XI.

Per verbum externum revelatum neutiquam Apolli-
nis Delphici oracula, aut aliorum gentilium oraculorum
responsa intelligimus, quæ gentibus sunt reddita, quan-
do arcana ab ipsis sunt sciscitata.

ἐκ θεοῦ τῶν
διδουμένων
τῶν ἰσχυρῶν

A 3

Neque

XII.

Neque intelligimus ea, qua olim sub Pontificatu Sa-
banas, in angelum lucis transformatus, mentitusque vi-
vis hominibus, pro defunctis fieri iussit, ut è purgatorio
liberati, in cælum transferrentur.

Jer. 23.

XIII.

Sic nec somnia fanatica nomine verbi externi ana-
nunciati venditamus.

XIV.

Matth. 15.
August. d. 9.
s. noli frater.
Deut. 4. v. 32.

Quin pernegamus etiam, id verbum externum,
quo de loquimur, esse humanas traditiones. Quando-
quidem non audimus in Ecclesia: Hec ego dico, hec tu
dicis: hec ille dicit: sed hec dicit Dominus. Nam hic
in lege ita loquitur. Non addetis ad verbum, quod vobis
loquor, nec auferetis ex eo.

XV.

Verbum enim externum annunciatum his à Spiri-
tu sancto decantatur elogijs: quod sit scriptura liber;
oraculum Spiritus Sancti: verbum vita: odor vita, gla-
dius Spiritus, ministerium Spiritus, Dei potentia ad sal-
lutem, mysterium tempore suo patefactum, & abscon-
ditum sapientibus huius Mundi.

XVI.

Nomine Bibliorum vetus & novum Testamentum
nobis veniunt, qua Augustino duo Instrumenta vocata
fuere: de quorum librorum distinctione alia dabitur
συζήτησις.

XVII.

in Deo & τὸ
ἐπιπέδῳ.
Ioh. 17. v. 17

Verbum Dei dicimus esse sapientiam Dei in myste-
rio absconditam, 1. Cor. 2. quam ὁ λόγος Filius Dei è
sinu Patris sui proferens, nobis revelavit, quâ de essentia
Dei ergà nos homines erudimur & ad vitam eternam
sanctificamur.

v



XVIII.

Velut Gregorij verbis idem breuius dicam: scri- lib. 4. Epist.
ptura est quedam epistola Dei omnipotentis ad creatur 40.
sam sacram: que nos hortatur, ut bene vivamus. August. in
Ps. 90.

XIX.

Proinde partibus το ζητήματ & sic explicatis in qua. διορισμὸς το
stione versatur: Utrum verbum externum & sacro co- Ζητήματ.
dice comprehensum, indubitato sit verbum Dei?

XX.

Nos circa questionis dilucidationem, studentes
perspicuitati à methodo superius observata, studiosè
non recedemus: & prius immotis argumentis monstra-
bimus, affirmativam questionis indubitato veram es-
se: posterius ἀναγκασιῶς argumenta subnectemus.

ἔλεγχος

XXI.

Quod verbum externum ijs fuit olim miraculis cono-
firmatum, qua omni creatura imitatu impossibilia sunt,
id indubitato est verbum Dei vivi.

Atqui verbum, codice Bibliorum consignatum,
ijs fuit olim confirmatum miraculis, qua nemo potest Job. 9.
facere, nisi Deus fuerit cum eo. E.

Verbum sacro codice Bibliorum consignatum indub-
bitato est verbum Dei vivi.

XXII.

Pro maiori negotio in syllogismo declaratione
dicimus, quod apud solum Deum nullum verbum sit im-
possibile: qui omnia facere potest, que vult: qui potens
est, & fecit potentiam brachio suo: cuius verbo cæli
firmati sunt: ut etiam honestiores gentes agnouerunt.

Enc. 1. v. 37.

510

Ideò



XXIII.

Ideo autem miraculis ijs, que omnium creaturarum intellectum superant, voluit verbum suum ad genus humanum per suos nuncios missum confirmare, ut in eam homines credant & vivant. Hec enim facta sunt, ut credatis in eum, & per nomen eius habeatis vitam eternam. Et rursus: Illi vero egressi predicaverunt ubique Domino cooperante & sermonem confirmante per signa subsequencia. Vnde Dominus ad Iudaeos: Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi. Si vero facio, & si mihi non credatis, operibus credite, ut cognoscatis & credatis, quod pater in me est & ego in eo.

XXIV.

Et historiae de gentibus testantur, quod haec de Dijs suis opinio, animis eorum tenaciter infederit, quod divino cultu nemo sit afficiendus, nisi qui se Deum singulari & stupendo facto declaraverit, Et cum Arabes tentasset Mahumetes, ut Alcoranum suum reciperent, tulit responsum: eum nullo signo Religionem suam novam probare posse.

XXV.

Pro minoris in syllogismo explicatione asserimus, ijs miraculis Prophetarum & Apostolorum doctrinam obsegnatam fuisse, ut in omnibus omnium Philosophorum, Historicorum, Poetarumq; gentilium nihil reperias, quod quidem ipsi de suis numinibus memorant, quod vel umbra mereatur dici, si cum miraculis istis in Biblijs annotatis compareretur.

XXVI.

Vt enim paucis summam rei complectar: quid de miraculoso exitu populi Israelitici ex Aegypto: cuius Cornelius Tacitus meminuit? Quid de tuto transitu populi

*lib. 5. historia.
Strabo lib. 16*

populi Israelitici per mare rubrum: quod hostes ingreſſi,
vestigia populi Dei ſequentes, ad unum omnes abſorpti
fuerunt? quid de miraculoſa ſuſtentatione populi in de-
ſerto per annos quadraginta? Et ut ex veteri teſtamen-
to adhuc unum adiciam, quid ſimile de gentilibus Dijs
memoratur, quod muri urbis Iericho, iuſſu Dei omnipo-
tentis ad tubarum clangorem corruerint, quaſi innume-
ris arietibus concuſſi? His nimirum & alijs innumeris
ſignis doctrina veteris Teſtamenti obſignata fuit.

XXVII.

Nec verò eſt ut nobis quis oggarniat, iſta divina ſi- Strabo lib. 16
gna in populo Dei gentiles non agnoſcere. Strabo namq;
de Moſe egregium dicit teſtimonium, ſcribens: Moſes
unus ex Aegyptijs ſacerdotibus, cum partem quandam
regionis haberet, ac moleſtè ferret præſentem ſtatum,
inde huc (in terram Chanaan) commigravit: multis
eum comitantibus, quibus divina curæ erant. Et quæ
ibi ſequentur.

XXVIII.

Et quæ potuerint gentes divina illa miracula igno- Strabo ibid.
rare, cum Strabo excidij Sodome & conſinium urbium
meminerit: quam tamen hiftoriam, ut ſolent gentes, Lactantius
gentili ignorantia (ut in terpretatur Lactantius) obſcu- lib. 2. c. 8.
rat &

XXIX.

Et quid multis eſſe fuiſſe Moſen, eiꝰq; miracula inter
gentes celebria, vel hinc evincitur, quod Platonem Mo-
ſen Atticum appellaverint, eò quòd, ut innumeri alij, è
græcia in Aegyptum itinere ſuſcepto, ab Aegyptijs ſapi-
entiam didicerit.

XXX.

Si verò quis obijciat, cum tot divinis ſignis verbum

Arist. de ver-
sione 70. in-
terpret.

Murn. de ve-
rel g. c. 26.

in veteri Testamento sit confirmatum, cur ea Historice,
Poeteq; graeci suis libris non inseruerint? Haec respon-
det Demetrius Phalerius discipulus Theopompi qui ana-
dixit Aristotelem, illud natura miraculum: Legem il-
lam divinam esse & à Deo ipso datam, ad quam illotis
manibus accedere nefas. Addit, à Theopompo (suo pra-
ceptore) se Aristotelis discipulo intellexisse, nonnullos,
quòd scripturas Iudaicas eloquentia Graecanica fucare
voluissent, vertigine repente correptos fuisse, & post-
quam Deum precati essent, somno admonitos, ne res sa-
cras & divinas commentorum suorum fucò deprava-
rent: Sic ille.

XXXI.

Nonnè cum his aptè congruit id, quod legimus, 1.
Reg. 5. & 6? Ablatà à Philistaeis arca fæderis, & in tem-
plo sui idoli collocata, non solum Dagon idolum suo loco
ad terram proiectum & tandem truncatum fuisse: ve-
rum etiam incolas peculiari morbi genere vehementer
afflictos & aliquam bonam partem interfectos fuisse:
quòd arcam fæderis indignè tractassent.

XXXII.

De miraculis novi Testamenti adeo non dubium est,
quin gentibus ea innotuerint eaq; crediderint illum cul-
tum sacrum, qui illis signis confirmaretur, Deum auto-
rem habere, ut Tyberius Imperator Romanus, Christum
nostrum salvatorem Romæ in numerum Deorum retu-
lisset, nisi senatus Romanus id impedivisset.

XXXIII.

Verum enim nimium est, quod pontificibus Hieros-
solymorum respondit homo Laicus qui cum cæcus natus
esset, per Christum visum accepit, A seculo non est au-
ditum, quòd quis aperuit oculos cæci nati, Et quomo-
do potest homo peccator hæc signa edere?

XXXIV.

Qua.

Ioa. 9.

Quapropter immotis fundamentis evicimus, quod testimonio etiam eorum, qui extra Ecclesiam semper fuerunt, verbum Biblicum ijs fuerit olim signis confirmatum, qua authorem alium nullum, nisi Deum viventem agnoscant. XXXV.

Sed sit hoc alterum argumentum pro parte affirmante. Quod verbum externum exactissime fuit completum, suo quodq; tempore id indubitato est verbum Dei. ἐλεγχθη
ab eventu.

Atqui verbum Biblicum exactissime suo quodq; tempore fuit completum. E Verbum Biblicum indubitato est verbum Dei. XXXVI

Consequentiam Maioris in syllogismo hac illustrant: Futura nemo novit, nisi unus Deus, & cui illa per spiritum suum revelare vult, Sic enim inquit apud Prophetam: Si quis inter vos fuerit propheta, in visione ei apparebo, & per somnium loquar ad illum, Num. 12. v. 6, 7. Daniel. 2. v. 19. 22, 28. XXXVII.

Etsi enim Satanas se Deum mentitus in gentilismo, futurorum πρόγνωσις sibi nequiter arripuit; tamen ἐν αὐτῷ φόβῳ, quod dicitur sepius a Deo ipsius conatus suppressi fuerunt, undae oracula sua sic formavit; ut dubiam haberent interpretationem ita ut apud gentes inde ipsi nomen venerit, λόγος ἀπίστων. XXXVIII.

Pro minoris in syllogismo declaratione forte sufficeret nobis, si diceremus, ab antagonista ne unicum quidem verbum in toto codice Biblico proferrī posse, quod non suo tempore definito fuisset impletum. Sed uberioris illustrationis causa, unam afferam promissionem (que gentibus quoque notissima fuit, et sicam alio torserint.)

XXXIX.
Cornelius Tacitus de Iudeis scribit hoc pacto: pluribus persuasio inerat, antiquis Sacerdotum literis contineri (atinguntur promissiones de Messia exhibendo) eo ipso tempore (quo Titus Vespasianus Hierosolymam lib. 5. Suet. in vita Vesp. Ioseph. lib. 6. belli Iudic. 6. obsedit

obsedit: & hoc quidem ex errore Iudaico natum fore,
ut valesceret oriens: Profectiq; Iudaea rerum potiren-
tur. Quae ambages (interpretatio historici, sed falsa)
Vespasianum & Titum praedixerant. Haetenus ille.

X L.

Probaturos igitur eam Prophetiam de Christi aduen-
tu eiq; regia officio in his terris peragendo, completam
esse, testimonio suo nos adiuvat consensus iuratisimo-
rum hostium Turcorum & Iudeorum. qui consentur
liberalissimè, ante annos mille, quingentos & nonaginti
quinq; huius nominis Iesu Nazareni curusam homi-
nis in Iudaea natiuitatem, & annis subsequenter eius-
dem vitam, doctrinam & miracula divina celebrata
fuisse, quibus se virum à Deo missum potenter ostende-
ris.

Vacitus lib.
antiquit. 15.
Fl. Iosephus
antiq. lib 16.
c. 4.

X L I.

Fuit autem id ipsum tempus, quod patriarcha Iacob
praedixit. NON auferetur sceptrum à Iuda donec veniat
Strob. Et id quoque longè antiè in Spiritu sancto defini-
vit Daniel Propheta, inquiens: Scito ergo & animad-
verte: ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Ierusalem,
usque ad Christum Ducem, hebdomades septem & he-
bdomades sexaginta duae erunt, &c. Et post hebdomades
sexaginta duas occidetur Christus.

Gen. 49. v. 10
Daniel. 10.
v. 25. 26.

X L I I.

Nec causa nostra quicquam officit licet gentiles
scriptores & ipse Flavius Iosephus non crediderint, Ie-
sum Nazarenum fuisse Messiam illum caelitus promissum
& Dei filium: dummodo nobis testimonium per-
hibeant, talem quendam fuisse sacerdotem eo ipso tem-
pore, quod scriptura ei definiuerat: qui postea per or-
dinem Iudeorum à gentilibus eo mortis genere sublatus
fuerit,

fuerit quod sancti Propheta in Spiritu multis seculis re-
tro praedixerant.

XLIII.

Quid? quod Tyberius Monarcha nullo alio fuit per-
motus, ut Dñs Salvatorem nostrum accenseret, quam
famam de ipsius miraculis à Iudaea usque Romam celebra-
ta, & inde usq. ad extremos Mundi angulos.

Murn. de veris
Relig. c. 320
Sueton. in vi-
ta Tiberij Cæ-
saris. Tertull.
lib. apoleg. c. 5

XLIV.

Itaq. id verbum indubitato Dei omnipotentis & om-
niscij verbum oportet esse, quod ante aliquot millia
annorum natiuitatem Domini nostri Iesu Christi, vi-
tam, doctrinam, miracula, fortunam, mortis deniq.
genus & verba, quæ in cruce loqueretur, praedixit, qua
omnia in tempore exactissimi completa fuisse, hostes
iuratissime quiq. largiuntur.

XLV.

Esto autem hoc tertium argumentum: Quod ver-
bum externum revelatum ab origine Mundi ad hac usq. à persecutione
tempora Satanas per hereticos & Tyrannos hostiliter
oppugnauit, id indubitato Dei verbum est.

Atque verbum Biblicum ab origine Mundi ad hac
usque tempora Satanas per hereticos & Tyrannos ho-
stiter oppugnauit. Ergo, &c.

XXVI.

Consequentiam Maioris haud facile quisquam ne-
gabit. Esse enim Cacodemonem & eundem Dei, Divino-
rumq. omnium hostem accerrimum, inter Christianos
in confesso est. Ad gentes autem quod attinet, Ter-
tullianus testis est, Platonem bonos & malos angelos
agnovisse. Et dum Stoicorum & malum Deum fin-
xerunt, nonne confirmant & ipsi Satanam esse?

Tertul. apo-
leg. c. 22.

Cum

XLVII.

Murn. de ve.
rel. c. 32.

Cum itaq; longo usu didicerit Spiritus malus, quantum ipsius regno noceat ministerium verbi sinceri, eius cursum omnibus modis impedire conatur. Et hanc Satane naturam Romanis, etiam nondum conuersis, notam fuisse aliquatenus, Terullianus auctor est.

XLVIII.

lib. 6. lib. 15
annal. de su-
perstitione Se-
neca.

Cæterum (ut minorem in syllogismo explicemus) quam miserè advexatus perpetuò fuerit is populus, qui verbum Biblicum propugnauit, lectio Strabonis et Cornelij Taciti satis docet. Et quid Seneca in contumeliam populi aliud vel excogitare potuisset? Plinius quoq; quoniam ob claritatem miraculorum Moysen silentio inuoluere non potuit, eum omnium Magorum principem calumniari non erubuit.

XLIX.

lib. 5. histo-
ria.

Maccab. c. 1
Fl. Iosephus
antiq. Iudaic.
lib. 12. c. 8. 5^o

Præterea ut ex Tyrannis veteris Testamenti unum nomen, quid Antiochus rex intermisit, ut funditus cultum Iudaicum everteret? Quod Antiochi tamen factum Cornelius Tacitus sic interpretatur, quod demere superstitionem, & mores Græcorum dare admixus sit, quo minus terribilissimam gentem in melius mutaret.

Fl. Ioseph. lib.
antiq. 16. c.
4. Tacit. lib.
15. annal.

* Tempore novi Testamenti quid Satanas sibi reliquum fecit, ut Christum & omnes, qui ab illo denominari voluerunt unà cum dogmate suo è medio tollerent? Non destitit certè, donec ducem nostrum in crucem adexit.

LI.

Polydo. Vergi.
lia. 2. de re-
rum inuen.
c. 6.

Tertul. Apol.
c. 7.
Tacit. lib. 15.
annal. Sneron.
n vita Nere-
gii.

* Imperatores porro Romanos instigauit, ut decem crudelissimis persecutionibus nomen Christianorum sub caelo delere conarentur. Et cum bestia illa, Nero, veram causam non reperisset, ut noceret cætui Christianorum, suum scelus, cuius ipse auctor fuerat, Christianis affinxit, ut in extremum odium apud Romanos nomen Christianorum

rum adduceret, quo exquisitissimo quoque supplicij gene-
re interimeretur. LII.

Hac mundi vespera quid Satanas per Pontificem
Romanum & Turcicum latronem non tentavit, aut et-
iam nunc tentat? & quos mortis acerbitate non potuit
à vera Religione deterrere, illos errorum & heresum
laqueis irretivit, ut saltem verbum Biblicum manibus
nostis excuteret. LIII.

Certissimum itaque κεντήριον hoc sit, Verbum Biblicum
Dei viventis verbum esse: cum sciamus, Christum de
furoribus Satanae adversus doctrinam Prophetarum &
Apostolorum discipulos praeconasse: Hac locutus sum
inquit ut non scandalizemini Venit hora, ut omnis qui Ioh. 16. v. 1.
interficat vos, arbitretur, cultum se prestare Deo. Et haec 2. 3.
facient vobis, quia non noverunt patrem, neque me.

LIV.

Quartum argumentum esto tale. Quod verbum exter-
num revelatum ob origine mundi ad praesens usque tempus
contra furores Satanae & omnium hostium machinatio-
nes, mirabiliter, conservatum fuit, id indubitatio est Dei
verbum. Sed verbum Biblicum ab origine Mundi ad
hoc usque praesens tempus contra furores Satanae & omni-
um hostium machinationes mirabiliter fuit conserva-
tum. Ergo &c. LV.

Maioris consequentiam probant haec dicta: Caelum
& terra transibunt: verba autem mea non prae-teribunt. Math. 24.
Et iterum: verbum Domini manet in aeternum. Deus e- v. 35.
nim in medio eius non commovebitur: adiuvabit eam Ps. 46. v. 6
Deus ante auroram. Hinc regius Psalter nomine Jeho- Ps. 2. v. 4. 5
va hostibus verbi divini minatur: Qui habitat in caelis,
irridebit eos, & Dominus subsannabit eos: Tunc loque-
tur ad eos in ira sua & in furore suo conturbabit eos.

Mimo -

ἐλεγχῶ
à conservatio
ne.



LVI.

Seneca de su-
perst. Mur.
6. 11.
Minorem Syllogismi confirmat querela Seneca de
constantia populi Israelitici in suo cultu: cuius haec sunt
verba: Interim sceleratissima gentis eousq; consuetudo
invaluit, ut per omnes iam terras recepta sit: victi vi-
ctoribus leges dederunt.

LVII.

Sufficiat itaque unius huius viri in sua gente olim
celeberrimi testimonium praclarum: quod adeo victo-
res populi Dei verbum Moysis & Prophetarum non po-
tuerunt genti sancta eripere, ut eidem doctrinae caelestis
potius obtemperarent.

LVIII.

Et quis hinc non agnoscit, divinitus sacra Biblia
conservari, quod verbum hoc eò latius disseminatur,
quò Tyranni crudelius in eius confessores seviunt?

LIX.

Ioseph. Judaic.
antiq. lib. 16.
6. 4.
Tacit. lib. 4.
nimal. 15.
Plenum consolationis est, quod Flavius Iosephus
& Cornelius Tacitus Christianorum hostes non vulgas
res scribunt: licet Christus sub Pilato cruci fuerit affi-
xus, tamen exquisitissimum id supplicium sectatores
Domini ab eius dogmate non deterruisse.

LX.

Psal. 27. v. 2. 3
Apost. 1. v. 23.
Matth. 16.
v. 18.
His itaq; admoveamur de certitudine verbi Biblicae.
Apuà Lucam enim ita loquitur Dominus: Noli timere,
pusille grex: quia complacuit patri vestro dare vobis
regnum, Luc. 12. v. 32. Et David se solatur: dum appro-
pian super me mali, ut edant carnes meas, Qui tribu-
lant me inimici mei, ipsi impingent & cadent. Dominus
enim in medio candelabrorum ambulat: qui ad Petrum
dixit: supra hanc petram (tuam de me editam confes-
sionem)

tionem) edificabo Ecclesiam meam: & porta inferorum
non prevalebunt adversus eam.

LXI.

Quintum argumentum ponimus tale: Quod reve-
latum verbum externum ea nobis pandit mysteria, ad ἔλεγχον ἅ
que nulla humana sapientia penetrare potuit, id est in-
ambitatio DEI verbum. in satisfactione
mysteriorum

Sed verbum Biblicum ea nobis pandit mysteria, ad
que nulla humana sapientia penetrare potuit. Ergo, & c. omni humane
sapientie ab-
sconditorum.

LXII.

Maioris consequentiam explanant hec: Quae Dei
sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei. Nobis autem
revelavit per Spiritum suum. Sicut Esaias inquit: Quan-
do facies prodigia, quae non expectavimus, descendes
& a facie tua montes defluent. A seculo non audive-
runt, neque auribus perceperunt: oculus non vidit, Deus
absq; te, quae preparasti expectantibus te. 1. Cor. 2. v.
12. 10.
Esa. 64. v.
3. 4.

LXIII.

Minorem succinctè per partes probabimus. Et
primùm quis hominum sapientissimus etiam originem
Mundi, hominis creationem, lapsum, lapsi generis hu-
mani reparationem, explicuit & Aristoteles quidem
inter naturales Philosophos facile princeps, tantum
abest, ut de mundi origine differat, ut eam etiam ne-
get. ἀκροαῖς
8. c. 12.

LXIV.

Plato inter Philosophos religiosissimus iudicatus non
absq; causa fuit. Nam de Deo, eiusq; essentia de Mundi
origine, de Daemonibus, de cultu divino, de diluvio, de
immortalitate animae, de premiis piorum & pœnis im-
piorum elegantius differuit, quam ullus alius. Horum
tamen mysteriorum adeo se authorem non professus est.

C

ut

ut frequentissimè repetat hac verba: *καλῶς λόγῳ*;
sicut ab antiquis accepimus, &c. Vi iam taceam, quòd
flosculi illi Platonis sacri à luce Biblica infinitis parasan-
gis absunt.

LXV.

Mysterium Trinitatis videntur ex oraculorum re-
sponsis & sybillarum versibus quodam modo cognitum
habuisse gentes. Sed quando diligentius ea pensita-
mus, qua de tribus personis divinitatis apud gentiles
leguntur, infantiam tantorum virosum manifestò pro-
dunt.

LXVI.

Venio ad exhibitionem Messia, eius miracula in
terris facta, mortem & resurrectionem à mortuis, eiusq;
ἀνθρώπων pro genere humano sufficientissimum: ad hac
annuncianda magis fuerunt muti quàm pisces; excepto
eo, quod Apollinis oraculum de puero Hebrais nascituro
interrogantibus responsavit.

LXVII.

Sueton. in vi-
sa Domitiani.

Nec inter gentes ullus fuit, qui potuisset causam
monstrare, quare ob admissa scelera paucant homines;
& cum nullam mortuorum resurrectionem credant, nul-
lum Diabolum, nullumq; infernum, mortem tamen
tantò vehementius formident, quando plurimum sceles-
rum sibi sunt conscij.

LXVIII.

Διγεωγῆς 2.
cont. 44

Differentes autem de providentia Dei, in opinio-
nes iverunt diversissimas. Nam eam alij negarunt, qui
nimiram fortuito Mundum fieri & occidere dicerent,
alij eandem quidem asseruerunt: Sed quòd Deus indi-
viduorum curam habeat, nullo modo concesserunt.

Agnosci-

LXIX.

Agnoscamus itaq; verissimum esse hoc verbum apud Deut. 4. v. 6
 Mosē: Hac enim est sapientia & intellectus coram popu- 7. 8.
 pulis, ut audientes uniuersi praecepta haec, dicant: En
 populus sapiens & intelligens, gens magna. Nec est al-
 lia natio tam grandis, quae habeat ita Deos appropin-
 quantes sibi, licet Dominus noster adest. Quae est
 enim alia gens sic incluta, ut habeat ceremonias, iustaq;
 iudicia iuxta omnem legem hanc, quam ego propon-
 nam hodie ante oculos vestros?

LXX.

Sextum & ultimum argumentum tale est: Quod ἐλεγχθ
 reuelatum verbum externum in nouo Testamento rece- à testimonio
 perunt omnes gentes, id indubitato est Dei verbum. omnium gen-
 Atqui doctrinam noui Testamenti tempore Apo- tium.
 stolorum receperunt omnes gentes. Ergo, &c.

LXXI.

Maior plana est. Debit enim compleri id Spiritus san- Psal. 19. v.
 cti vaticinium: Non sunt loquela, neq; sermones, quo- 4. 5.
 rum non audiuntur voces eorum. In omnem terram Zach. 13. v. 2.
 exiit sonus eorum, & in fines orbis terra verba eo- rum.

LXXII.

Testimonium autem Christiano dogmati perhi- Colos. 1. v.
 bent hostes ipsi, quod Apostolorum doctrina in omnibus 23.
 terris homines assenserint: Et etiam nunc gentes extra Aug. de ciui-
 Ecclesiam posita multo de mysterijs diuinis rectius, tate Dei lib.
 quam olim, sentiunt. Hinc Apostolus Paulus: Citra con- 22. c. 28.
 troversiam magnum est pietatis mysterium, Deus est 1. Tim. 3. v.
 manifestatus in carne, iustificatus in Spiritu, apparuit 16.
 angelis, praedicatus gentibus; creditus est in mundo,
 assumptus est in gloria.

Suppes

LXXIII.

Suppetunt quidem argumenta alia, que evincunt, verbum Biblicum certò Dei verbum esse: ut styli simplicitas: suavisima harmonia utriusq; Testamenti veteris & novi. Martyrum sanctorum constantia, stupendaq; animi presentia in subeundis, perferendisq; supplicijs exquisitissimis, miranda doctrina Evangelica propagatio & alia: que fusius tractare, tempus non permittit.

LXXIV.

ἄνασκειν, ἀνασκειν.Ceterum primum ἀνασκειν argumentum est hoc: Si verbum Biblicum non est Dei verbum, divina in hominibus non efficit, quando predicatur.

Atqui posterius historie tum profane tum sacre comprobant. Igitur &c.

LXXV.

Consequentia hypothetica cum plana sit: Assumptum declarabimus hoc pacto: Hereses abolere, Satana opera in hominibus huius Mundi destruere, ad vite sanctimoniam impellere, non humanum, sed divinum opus est.

Apocalyp. v. 4.
v. 6. 7. 8.
2. Cor. 7. v.
10.

Atqui verbum Biblicum predicatum hac efficit. Ergo.

LXXVI.

Si sacra Biblia non sunt verbum Dei, possunt id homines citra aeternae salutis iacturam despiciere.

ἀνασκειν ἄσιν-
νόρ.

Sed consequens est falsum. Igitur & antecedens.

LXXVII.

Assumptum probat historia Iuliani Apostatae: cum vulnus ipsi infligeretur, ita ut nesciret, unde esset sanguinem e vulnere profluentem manu sursum projecti.

ijciens dixisse fertur: Viciſti Galilae, Nec deſunt exem-
pla alia eorum, qui cum gemitu & fremitu, quòd hanc
doctrinam perſecuti eſſent, exſpirarunt.

LXXVIII.

Si verbum Biblicum non eſt verbum Dei, non eſt ἀντικεινός
antiſiſimum. κόρ.

Posterius eſt ἀσβεστος ἄτοπος. Ergo &c.

LXXIX.

Conſequentia hypothetica conſenſus gentilium appro-
bat: qui crediderunt, verbum Dei antiquiorem Deo au-
thorem non agnoſcere.


LXXX.

Assumptum in idem libris gentium ſtabilitur: lib. 2
quandoquidem Herodotus teſtatur: Græcos ſuam Reli-
gionem ab Aegyptiis accepiffe: Aegyptios verò debere
eam Iſraelitis, ex Strabone colligitur. Et porro vel inde lib. 16.
patet, quòd in Religione ab Iſraelitis fuerint informa-
ti Aegyptij, quòd in ſuis exorcismis his ſcribuntur uſe Murn d. v.
verbis. Deus Iſrael, Deus Hebræorum, Deus qui Rel. c. 26.
ſubmerſit Aegyptios cum rege ſuo in mari rubro.

LXXXI.

Cum itaq; Teſtimonio ſcriptorum gentilium cul-
tus & leges Iudaorum ſint antiſiſima: neque Verbum
Biblicum ullius autoris alius, præter Deum unicum, men-
tionem faciat: Cum interim reliquæ religiones omnes ad
verbum Biblicum alludant: quid aliud inde inferamus,
quàm eſſe ſacra Biblia unius Dei viventis & veraciſ-
ſimum? quòd nobis demonſtrandum fuit.





M. MARTINO CONRADI
Franco, Thesium harum Aus-
ctori S.

Vte perpetuis iuvat impallescere Chartis,
Vt te nocturno insomne iuvat immori oliuo:
Sic quoque, Flos CONRADE virum tua nomina
Plenis remigi velis, ventoq; secundo (Fama
Perpetuum, invidia mirante, vehentur in avum.
Biblica quam infracto tractasti scripta labore?
Quanta iudicii trutinam? quam denique amussi?
Quid verbis opus est? ubi vel thesis unica, quantum
In sacris valeas possis, probat? At quam tempore
Aonidum lacte es Sophies nutritus in antro (multo
Queis igitur, ceu par, caelo te laudibus aequemus,
Onimium praclare Dei, Phœbiq; Sacerdos?

Georgius Reimannus Silesius,



[Faint, illegible text visible through the paper, likely bleed-through from the reverse side.]

9
:
2
e

e
e
o

a



Theses de animarū statu post mortem.

Theses de Ecclesiā triumphante.

De sanctorū reliquiis et imaginibus eorū cultū, ceterisque eo spectantibus.

Them. Theol. de Sacramentis in gr̄e.

De notitiis Dei et voluntatis ipsius humanis animis nāa infitis et disciplinā ex cultis, D. Hofmanni, B.

Thesi de iustificatione hominis peccatoris coram Deo D. RUNGII.

Prop. de iustificatione contra Flacianos Joh. Ferriarii.

Assert. Theol. de iustificatione hominis coram Deo, Polyc. LYSERI.

Prop. repetentes summa de iustitiā fidei ab opibus, M. Helsen, & M. Berzii

De Ecclesiā triumphante in caelis disputationes 2, quarū una de sanctorū in vitā aeternā habitudine agit M. Volkmari, altera de sanctorū cultū agit, M. Cameri.

Disp. de Providentiā Dei Wolfii.

Disp. 1. de Turcā ex c. 38 & 39 Ezecb. in quā explicant. p̄st. 3.

1. qd̄ sit Gog Magog, Babil, Mesob. 2. qd̄ per vocab. Turca significantur
3. qd̄ Turca sint flagella quō Deo castigat Ecclesiam. D. Salom. GESNERI.

Disp. altera de Turcā ex c. 38 & 39 Ezecb. tota in refutando duobus cap. posita, qd̄ GESNERI.

Disp. 2. de Turcā, in qua tractat 1. de tempore ultima irruptionis Turcā in Ecclesiam. 2. de populo ad loca dōm ubi ista evenient. 3. Cuias ob cuias Turca Christianis immittat. 4. Cuias ratione sit repri. mēdō. 5. Quo pacto et q̄ armis tandem mediantibus fuerint delendi, qd̄ GESNERI.

Prop. de Ecclesiā, HEURNII.

Thesi de Predestinatione D. FREDERI.


Dis. de reali communicatione idiomatum in unā Personā Christi, M. Bernades.

Dis. de Baptismo capite papia D. RUNGII.

Thesi de Sacramentis in gr̄e GESNERI.

Them. Theologica de orali corporis Christi in cenā manducatione dictis Eucharisticis D. GESNERI.

Them. Theol. de communicatione idiomatum reali tertii gr̄i, D. GESNERI.



AVXILIANTE DEO:
Theorema,
QVOD REVE-
LATVM VERBVM
EXTERNVM, QVOD IN SA-
CRO CODICE BIBLIORVM CON-
tineri affirmant Christiani sit indubitato
DEI Verbum:
Quod
Moderatore
REVERENDO AC
CLARISSIMO VIRO, DN. IO-
HANNE GEORGIO VOLCKMARO, S.S.
Theologiae Licentiato, & in Academia VVitenber-
genſi Professore publico
Contra gentes
Ad disputationem tertiam in Collegio studiosorum
Theologiae privato proponit,
M. MARTINVS CONRADVS Fr.
Respondente
M. ENGELBERTO ENGELS. Mar-
codurano Iuliacense.
VVITEBERGÆ
Typis viduae Matthæi VVelaci M. D. V C.